

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	margine
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 8, circa 1, quaestio 1. (fol. 14ra)

Utrum daemon possit ludificare sensus nostros?

Primo quaero, utrum daemon possit ludificare sensus nostros? Et quod non videtur, quia secundum Philosophum, *II De Anima*,² sensus non decipitur circa proprium obiectum. Sed decipietur nisi semper verum iudicet.

Item, quia intellectus apprehendit cum complexione, cadit in eius apprehensione veritas et falsitas. Sed sensus sine complexione, et incompleta non sunt vera nec falsa.

Contra, Glossa super illud III Ad Galatas,³ qui vos fascinavit? Ludificationibus magicis, quae aliter quidem oculis hominum apparent quam sint. Sed magi operantur per demones, *III De trinitate*.

Item, quod potest homo, potest daemon in talibus. Sed homo potest facere illud, quod unum appareat duo supponendo digitum oculo, ergo etc.

Respondeo, dicendum, quod omnis tam doctores quam sancti et etiam Magister in hoc concordant, quod daemones

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura lib. 2, d. 8, c. 1, q. 1*, Tuomas Vaura (ed.), Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550 -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Aristoteles, *De anima* II.6, 418a.

³ Petrus Lombardus, *Collectanea in omnes Pauli apostoli Epistulas* in epistolam ad Galatas, cap. 3.

bene ludificant. Unde Augustinus, *III De civitate*,⁴ recitat quodam tempore fuisse boves locutos et infantes in utero matris, et feminas eodem conversas in masculos tam in hominibus quam in iumentis. Item, *XVIII*, dicit quosdam homines conversos in iumenta portasse multa honera, quia comederant quosdam caseos, quae omnia sunt deputanda illusioni daemonum. In hoc ergo omnis concordant.

Qualiter autem hoc fiat

sunt opiniones. Aliqui dicunt, quod daemon species quas habet in se obicit sensibus hominum. Sed hoc non potest esse, quia nihil potest apprehendere visus nisi colorantum, quod est impossibile tales esse illas species. Quia nec quantae sunt, unde, *De sensu et sensato*, dicit, quod omne sensibile oportet quantitatem habere.

Aliqui dicunt, quod aut subest aliquid illi ludificationi, aut non. Si non, tunc non est deceptio, quia non potest facere quod nihil sit aliquid. Si vero aliquid subest, tunc potest fieri pluribus modis, quia potest apparere vel ratione situs et tunc unum videri duo, vel ratione magnitudinis et tunc est ratione

<14rb>

medii densioris, quae fiunt per fractionem radiorum [et]⁵ positionem(?) speculorum, et quia ipsi sciunt aerem condenpsare et specula ponere.⁶

Sed iste modus est insufficiens, quia non dat rationem nisi de magnitudine et pluritate. Sed quare palea appareat serpens, non dicit.

Alii dicunt, quod imprimis species talium rerum in fantasia. Sed praeter difficultatem de speciebus plura alia incurrit.

Alii dicunt,
quod talis illusio duplicitate potest fieri, quia interiori apprehensione
aut exteriori representatione. Interiori representatione potest
fieri illusio generalis respectu magne multitudinis simul et tempore eodem.
Sed secundo modo est solum particularis. Omnis enim illusio fit vel apparent
vel circa apparentis rei substantiam, aut praesentiam aut distantiam,
vel magnitudinem et figuram, vel multitudinem et unitatem, vel
circa qualitatem.

Si enim fiat circa rei apparentis substantiam generaliter,
scilicet quod una res videtur alia, ut homo asinus, potest fieri tripliciter, quia per
elementorum coaptationem, per similitudinis impressionem, per specierum rerum
notarum expressiones. Primo fecit Simon Magus tempore apostolorum, qui
fecit venire canes magnos nigras, et de isto modo habent *De trinitate XVIII capitulum XVIII*.

Item, potest fieri secundo modo per similitudinis expressionem,
sicut dicitur in *Itinerario Clementis*, quod omnibus videntibus idem Simon
appareret, quod fecit vel efficiendo oculum vel medium vel obiectum
ipsum. Unde dicitur, quod si corium serpentis fieret licinium in lampade,

⁴ Augustinus, *De civitate Dei* lib. 3, cap. 31.

⁵ Add. in marg.

⁶ Add. in marg. *Ideo, possunt talia operari*

similiter aliquo fumo, tunc omnis paleae viderentur serpentes.

Tertio
modo potest fieri in ungue vel ense et similia.

Ad primum argumentum, dicendum,
quod sensus non decipitur quin videat coloratum,⁷ sed deceptio est in
iudicio.

Ad secundum, dicendum, quod circa simplicia non est deceptio, sed
circa communia, quae non sunt sine aliquali complexione.

⁷ Scripsit sed del. *de*